

**LVIII. De lince.** Linx, ut dicunt Plinius et Iacobus et Lapidarius, bestia est, que ita perspicaces habet oculos, quod solida corpora subtilitate visus penetrare dicatur.

5            |    Questio autem non modica est, quomodo hoc possit. Constat secundum Philosophum quod oculus situs est in humido. Tria autem in aqua sunt: aquea humiditas, dyafanitas et perspicacitas lucis. Et hanc ultimam communicat cum natura celesti, et hec est ultima depuratio a materia in natura lucis. Et quia lux est ultima perspicacitas in corpore terminato, ideo si ponatur aquea substantia in ultima sua  
10           |    deputatione quantum ad perspicacitatem, in oculo lincis poterit penetrare corpus solidum et obscurum. Hoc quoque in natura eius mirabile reperitur, quod quicquid viderit, statim cum oculos averterit, obliviscitur.

15           |    Ut Plinius dicit: Nisi tantum unum fetum facit. Linx linguam habet serpentium similem licet maiorem, quam in magnam longitudinem porrigit. Collum circumagit unguesque grandes habet. Qui autem huius animalis naturam plenius cognoverunt, eius urinam in duritiam pretiosi calculi coire dixerunt. Hic lapis ligurius appellatur. Sed invidia quadam naturali liquorem emissum harenis in quantum possunt abscondunt, ne talis egestio in nostros usus transeat.

5           |    **LIX. De licaone.** Licaon in orientis partibus bestia est, quam nonnulli in genere luporum ponunt. Cervice iubatus est et tot modis varius, ut nullum ei colorem deesse dicant. Lupo longior est, sed crura breviora habet ac dissimilia. Velox saltu hoc animal est. Venatu vivit. Innocuum est homini. Et hoc notandum  
10           |    in hac bestia, quod habitum mutat secundum tempora, quia hyeme hirsuta et pilis horrida, estate vero nuda est. Hoc animal adulatores signat vel detractores subditos, qui dum prelati eorum in persecutione aliquorum sunt, tunc quasi hirsutiis vestiuntur et animo malignandi in socios debachantur et hoc sibi honorabile credunt. Tempore vero pacis fatescunt invidia.

5           |    **LX. De lupo.** Lupus, ut dicit Iacobus, animal rapacissimum est et fraudulentum. Lupos silvestres canes nonnulli esse dixerunt. Forma enim ipsius ut canum, ululatus consimilis, sed latratu carent. Iacobus: Dicitur autem quod, postquam ovem rapuerit, insequente pastore ovem dentibus non ledit, sed super  
10           |    dorsum suum suaviter eam iacere facit, ne forte sentiens lesionem ovis, dum se ipsam moveret, lupi fugam retardaret. Ambrosius: Homo quem prius lupus viderit, conticescit et anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi voluntatem habeat, non habet vocis ministerium. Despiciatque eum lupus tanquam victor vocis ablate. Et hec ratio, ut dicit Experimentator: radios oculorum suorum mittit in hominem et desiccet spiritum eius visibilem, qui desiccatus desiccet alios hominis spiritus, et illi tandem desiccant arterias, et sic homo raucus efficitur. Epar habet diversum a ceteris animalibus secundum similitudinem armorum. Ut dicit Aristoteles, iuxta mare frangunt retia piscatorum ad desiccand-

dum exposita, nisi eis in loco reliquerint pisces. Experimentator: Folia salicis  
 15 in ore colligit et sub illis se abscondit, ut capras venientes ad folia latenter capiat.  
 Cum inter folia lupus incedit, ne ex sonitu percipiatur, pedes suos lingua lambit  
 et sic lubricos et humidos facit, ne a canibus audiatur. Lupus de die obtusum  
 habet visum, nocte clarius videt. Animalia autem que nocte clarius vident, de  
 die sepius obumbrantur. Plinius: Lupus si se previsum senserit ab homine,  
 20 deponit ferocitatem, nec enim solite celeritatis vigorem habet in cursu. Ambrosius:  
 Si te lupus prevenerit, vocem tibi aufert, et si obmutueris, solve amictum  
 tuum, ut sermonem resolvas. Si in te insurrexerit lupus, petram fugit; si te in-  
 sequitur, paulatim eundo post tergum, ut tibi insidietur, ipso vidente signum  
 medium inter te et ipsum aliquod pone, et illaqueationis metu subsistet. Et hoc  
 25 idem contra diabolium signum crucis est, ut cesset impugnans. Liber rerum:  
 Coeunt lupi toto anno non amplius quam per dies duodecim. Sunt autem virge  
 eorum ossee. Solummodo eo tempore quo coeunt gregatim incedunt; ululantque  
 pariter uno tantum precinente et ceteris conclamantibus magisque tunc formi-  
 dabiles et infesti sunt. Manducant in fame terram. Sed et tunc se onerant cibo  
 30 terre, cum bovem vel equum vel huiusmodi robustum animal invadere querunt.  
 Nempe illud per nares invadentes, cum animal a se excutere voluerit, illum  
 doloso pondere defatigatur, et in terram victum cadit. Tunc exonerantes se  
 comesta terra revertuntur ad predam. Solinus: Lupi cum post longa ieiunia  
 repertas carnes manducare ceperint, ubi quid casu respiciant, statim obliviscun-  
 35 tur et immemores presentis copie eunt quesitum quam reliquerant satietatem.  
 Plinius: Partiri dicuntur inter se rapinam equa divisione. In vesica lupi lapillus  
 qui sirtites appellatur nascitur, sed in hominum quorundam diro cruciatu.  
 Lupus non pinguescit, et hoc quia vorat cibos quos comedit nec masticat, ut  
 transeant in corporis nutrimentum. Ambrosius: Lupus quando infirmatur,  
 40 terram et herbas comedit pro medicina; qua comesta, statim vomit et sanatur.  
 Nullum enim animal, quod carne vescitur, impune herbas comedit preter homi-  
 nem et ursum. Hoc idem quando infirmantur canes faciunt. Aristotiles: Acci-  
 dit autem lupis frequenter infirmari, quia multa cibaria sine abscissione et masti-  
 catione transglutiunt et manent sine cibo duobus diebus propter digestionem  
 45 cibi. Vivit autem modica aqua et hoc ideo, quia non iuvat potus cibum indi-  
 gestum. Stercus eius siccum est et sine aliqua humiditate et difficulter egreditur  
 et exit cum eo fortis ventositas ab inferiori regione; et urina eius olfacit. Levat  
 autem pedes, quando mingit, sicut faciunt canes. Lupi aliquando comedunt  
 homines, et hoc fortuito: raro enim fit. Dicitur autem hoc non fieri, nisi aliquo  
 50 casu prius comederit de cadavere hominis occisi, quod per arva forte exanima-  
 tum invenerit. Tunc gustans in eo suavem cibum carnis humane, que delicatior  
 omnibus carnibus est, iterato querit comedere illectus carnis dulcedine nec  
 formidat pericula incidere hominem impetendo.

55 || Lupa mater quamdiu vixerit, nulla filiarum eius concipere vel  
 || generare putatur. Et hoc satis probabile, quia si concipere et  
 || generare possent, luporum multiplicatio aliis animalibus nimis

|| fieret importuna. Et in hoc benigne multum provida natura discrevit. Lupas infantes hominum rapuisse frequenter compertum est et annis plurimis cibo crudarum carniū nutritive.

- 60 Lupi quando fugiunt, catulos suos ferunt secum et, si a venatore fuerint deprehensi, saliunt super arbores, quas saltu attingere poterunt, et latent inter frondes, quoadusque venatores transierint. Cum exeunt a cavernis, comedunt herbam dragunteam et masticant dentibus ad acuendum dentes suos. Proprium luporum est ignem timere. Quando autem senescunt lupi, vadunt ad loca civitatibus
- 65 proxima, ut facilius predam inveniant, quoniam senescentes difficillime venari possunt. Vita luporum longissima est, et in senectute dentes perdunt. Membra interiora debilia sunt, de facili recipiunt corruptionem in suis vulneribus, et residuum corporis eius patitur multas percussiones. Caput eius est forte nimis, et vulnera que accidunt ex morsibus eius vel unguibus sunt valde mala, quoniam
- 70 venenum exit ab eis; et eadem medicina est in morsibus eius sicut in morsu canis rabidi. Dispositiones anime eius sunt tales: audax est, et hoc magis eorum genus, quod breve est, quam quod longum. Domesticabitur autem sine ira et cum amore conservabitur inter homines et cum eis ludet sicut catulus. Venatores tamen naturaliter fugiet et non obliviscetur perpetui odii et dolositatis, quod habebat
- 75 ad agnos et ad minuta animalia, que solebat manducare. Lupos, ut dicit Ysidorus, Ethiopia nutrit cervice iubatos et tam varios, ut nullum colorem illis deesse dicant. Lupus per sepem transiens, sicut dicit liber quidam, occulte insidiaturus ovibus, si forte pede strepitum fecerit, mox pedem quasi reum mordet. Lupus escas superstites in terra fodit. Solivagos canes si quos invenerit et comprehendere poterit, occisos in terra fodit.

- 80 Albertus: A simili et lupum non solum vivum, verum etiam et cadaver emortuum adeo canes nobiles persequuntur, ut si carnes eius etiam delicatissime preparantur, eas solo olfactu discernant ab aliis et averso rictu oris dentibus infrendentes pre nimia indignatione diros
- 85 contra illas latratus emittant. Iohannes episcopus dicit: Catuli luporum et si invalidi sunt ad venandum, gaudent tamen sanguine et morsibus ludunt.

- Lupus ovile intrans oves omnes occidit, priusquam aliquam ad comedendum attingat. Cerebrum lupi crescere ac decrescere dicitur secundum statum lune
- 90 et hoc, licet in omnibus quadrupedibus, in lupo tamen plus, excepto cane in quo idem natura contulit. Cor lupi combustum et in cinerem redactum in potum datum epilepticos iuvat, ut dicitur, et hoc si nulla postmodum patiens luxuria maculetur. Cor lupi si desiccet et servetur, multum aromaticum fieri dicitur, ut dicit Experimentator. Lupus Ethiopicus cervicem habet ad modum equi
- 95 crinitam et tante varietatis, ut nullus ei color deesse credatur.

LXI. De lincisio. Lincisius animal quadrupes est, ut dicit Experimentator in libro suo, animal ex commixtione canis et lupi, et hoc fit matre lupa et patre cane. Est enim uterque parens adeo luxuriosus, ut sibi contradicente odio natu-